



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

VII. Num propositiones singulares de futuro contingenti determinatam
veritatem, vel falsitatem habeant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

les de diuinat. seu præsen. per somnium vulgari illo proloquiossi *sapè iucis, aliud alias iecerit*: est tamen sententia illa Gregorij M. 4. dialog. c. 26. init. dicentis: *ipsa aliquando animarum vis subtilitate sua aliqua præuidet*, scilicet abique reuelatione, & supernaturali elevatione, à qua eam præuisionem itam distinguit, & confirmat exemplo moribundi, qui prædixit Romæ se per viam Appianam ad B. Sixti Ecclesiam esse processurum: cumque testamentarij id nescientes, nec curantes alio corpus eius efferrè decernerent, ac funus dirigerent, repente mutato Consilio, & via eo illud, sicut prædixerat, deuenerunt: sed in ea sententia ex celsiss. Doct. S. pientissimus merito videtur nostro Ruiz num. 8. maxime, cum prædictio huius cum euentu concordia casualis, & fortuita iudicari potius debeat, sicut, & aliarum, quas ex Augustino retulimus: vt hic, & Aristoteles de similibus generaliter atebant verbis datis, & ipse Augustinus iterum 12. de Genes. ad liter. cap. 18. sub initio his verbis: *Ego vixi ista omnia vixi comparo somniantium, sicut enim alijs uando, & hæc falsa; aliquando autem vera sunt, se etiam illa omnia plerumque etiam sunt falsa, atque ideo, quia rarissimæ, quæ vera sunt notantur. Accedit: quod hæc, & similia, vel per iocum, vel phrenesim, ex eis, quæ familiariter ex usu, & circumstantiis acciderent solent, ac moribus di præsertim de se fore coniectantur, & prædicant; ac proinde ita ex usu eueniant; vel tandem licet ex raro contingentibus casus sint, industrijs, & Angelorum inspirantium, vel demonum suggerentium ac disponentium, quæ serio fieri desiderabant euenire naturaliter possunt: maxime, si demon ita prænuntiari ab illis fecit, vt homines diuinationibus credere faciat, ac Deus in horum penam atque sine illius industriam non impediat.*

5. Denique opponens: homines per somnium, extasim, aut phrenesim, à sensuum usu alienatos futura cognoscere teste Aristotele proxime: ubi è communi sui temporis fama refert quosdam apud Herculis columnas, & Boristhenem diuinare futura: atque somnia nec credenda, nec contemnenda semper esse: sed certe contra Leuit. 19. dicitur. *Non augurabimini, nec obseruabitis somnia*. Et Ecclesiast. 5. *Multas curas sequuntur somnia, nempe inanes*. Et Ecclesiast. 34. *Multos enim errare fecerunt somnia*, de quorum detestatione magna ponderatione ait M. Greg. 4. dial. cap. 48. ante med. quæ generaliter de somniis, non à Deo, vel Angelis è Dei voluntate, & imperio immixtis, sed frequentibus, & naturalibus intelligenda sunt. Nam de illis extant plurima credenda in Scriptura: cuiusmodi sunt Patriarchæ Iosephi de manipulis, Soleque, Luna, & Strellis: de statua Nabuchodonosor à Daniele explicatum, & tandem dicitur, Ios. 2. n. 28. *Senes vestri somnia somniantur*: in Messia aduentu, vt explicuit S. Petrus Actor. 2. Neque Aristot. citato libro de diuinatione per somn. oppositum docuit: cum eodem libro dixerit, vt supra retulimus: somnia quandoque à Deo immitti: quare ratione horum docuit non esse semper contemnenda. Ex alijs verò somniantium, atque abusu sensuum per phrenesim, aut extasim abstractorum præsentionibus probabile indicium futurorum, maxime circa corporis bonam, vel malam valetudinem, ac proinde eius curationem futuram colligi, & coniecti probabiliter potest, oriuntur enim è corporali corporis dispositione, & inclinatione appetitus, ad quam facilius mouetur dormiens, & ab usu sensuum alienati imaginatiua, cuius vis ad alia obiecta non distrahitur, totaque ad obiectum interiori sensui per naturales intrinsecas causas propositum colligitur. Vnde Medici iure iis valetudinariis somniis attendunt, sæpe eiusmodi somnia dormientibus, ac extaticis ab Angelis, siue bonis, siue malis imituntur: aptioribus scilicet, tum ob collectionem virtutum imaginatiua ad obiectum interius representationem, aptioris proinde ad eiusmodi impressiones patientias, teste Aristotele citato libro & Sancto Thoma q. 87. art. 4. ad 2. tum, quia sensibus vrens, seipsum etiam agit, nec solum patitur, vt ab eorum usu alienatus: quare magis impedit motum, & operationem agentis: quare proportionem seruata minoris probabilitatis sunt de liberis futuris, etiam hominum, qui naturalibus inclinationibus, vel ex consuetudine, & habitu, vel aliunde obtemperant, non rationi. Demum iudicarios Astrologos naturales minus certo, maioriq. aberrandi periculo effectus altiorum prædicere, quam demones: quia non æquæ, atque his,

causarum naturalium collectionem penetrant, imo vix minorem partem illius: quare circa pluias, ventos, serenitatem, sæpè falso prædicunt.



QVÆSTIO VII.

Num propositiones singulares de futuro contingenti determinatam veritatem, vel falsitatem habeant.

PROPOSITIONVM singularium nomine non intelliguntur in re præsentia ab scholasticis propositiones singulares enuntiativæ: sic enim propositio quævis indiuidua, reque existens, singularis est, & quocumque obiecto sit: intelligitur ergo nomine propositionis singularis obiectivæ, siue de obiecto singulari: quæ acceptione diuidi à logicis in vniuersalem, particularem, indefinitam &c. propositio solet: quare hoc titulo inquiritur de propositionibus de obiecto singulari, contingentibus futuro: cui nimirum soli per se, & ratione sui potest contingentia conuenire, & ratione cuius vniuersalibus, & communibus aliarum propositionum obiectis: & quamvis ad rem præsentem Theologicam de diuina nostrorum contingentium futurorum præsentia, & difficultatibus inde subortis componendis, ita vniuersim de veritate propositionum omnium singularium de futuro contingentibus disputare necessarium non videatur, tamen valde vtile, & quod doctrinam hætenus traditam de eorum obiectorum præsentia confirmet: cum enim veritatem formalem determinatam habere eiusmodi propositiones nequeant, nisi eiusmodi futura contingentia futura singularia, quæ ita fore enuntiantur, vt erunt, veritatem obiectivam, seu capacitatem, vt veram cognitionem actualem duratione anteriori habitam terminent, habeant: sit, vt ex eorum formali veritate, veritas eiusmodi contingentium obiectivæ demonstretur: quæ ostensa à Deo prædicti euidens subinde erit: idcirco, licet vniuersalis hæc quæstio philosophica sit, hic tamen iure optime à Theologis disputatur.

CERTAMEN I.

Doctorem placita, & pro veræ definitionis claritate notata.

1. **E**PICTETI apud Ciceronem lib. de fato longe à medio num. 28. docuere: eiusmodi propositiones, nec veras, nec falsas esse: aut, cum id pudet, illud tamen dicunt, quod est impudentius veras esse ex contrariis dispositionibus: sed quæ in his enunciatæ essent (determinatione) eorum neutrum esse verum: quasi dicant: Petrum eras pugnaturum, vel non pugnaturum, verum quidem esse, vereque dici disiunctivæ: aut pugnaturum determinate, vel non pugnaturum determinate, nec verum esse scilicet, nec falsum, nec verè scilicet dici, nec falso, siue eras pugnet siue non pugnet. Quorum fundamentum illud proculdubio fuit: quod alterum ex contradicentibus est, tempore quousque signato, seu fore necessarium est: cum simul nequeat vtrumque esse pro vlla duratione: esse vero alterum ex illis determinate pro omni, & quavis duratione, eorumque contingentia repugnat id quod cæteris, qui aliter, ac veritas fert, de eiusmodi propositionum veritate, aut falsitate determinate sententias tulērunt, præcipua atque unica extitit causa. Extrema huius sententia Epicureorum parti consentiunt scholastici nonnulli asserentes: in his propositionibus contradictorijs de futuro contingentibus determinato, & singulari, licet ad veritatem

veritas, vel falsitas sit; nullam tamen determinate distinguere, ac designare veram esse, nullamque determinate, ac designare falsam: sed alteram esse indeterminatam veram, alteram vero indeterminatam falsam. Quod si aduerbium *indeterminate* cadat supra subiectum, scilicet, *alteram propositionem*: est in terminis ipsissima sententia Epicurorum pars extrema, ut patet; si autem cadat supra prædicatum *veram* ipsa in eandem recidit: quod enim verum, vel falsum indeterminatè est sub distinctione verum, vel falsum est, nec magis falsum, quam verum: fuit autem sententia hæc Aureoli in 1. dist. 39. p. 1. a. 1. concl. 1. a. 3. concl. 1. & 2. Bapolid. d. 38. q. 1. a. 3. ad 1. Agid. ibi q. 3. Argent. d. 40. de Prædict. quæst. vnic. a. 3. colum. vlt. ad 1. & 2. Bargij d. 39. q. 1. §. *Ad argumenta principalia* Cather. libello de verit. enuntiationum.

2. His accedere videntur nostro Ruiz, & doctis iam citandis, Aluarez de auxiliis num. 1. §. *Confirmatur*. & d. 13. conclus. 1. probat. 3. & subdubius Ledesma d. 2. de scient. futuror. dub. 2. solut. 1. Hieronym. Viues de primatu diuine lib. d. 1. & 10. ac 18. & alij (Dominicanæ scholæ Recentiores) asserentes has propositiones, nec determinate veras, nec determinate falsas esse ante decretum actualis, & omnino absolutum prædeterminans voluntatem ex omni antecæda duratione, respectu cuius futurum contingens futurum determinatè est, ad eius futuritatem, siue existentiam absolutam pro duratione, pro qua futurum determinatè est: id quod Hieronymus Viues locis citatis supra, & quorquor ex familia, & schola Thomistica Dominicanæ censent Recentiores iam communiter sequuntur. Esti autem in principio illo de necessitate decreti actualis absoluti, & prædeterminans voluntatem ad rei futuritatem, siue absolutam existentiam pro sua posteriori duratione vehementer deceptos iudicem: alij præfatæ sententiæ ita proxime accedere non censent. Hi liquidem eiusmodi decreto contingentem omnem futuritatem determinatam præ non futuritione constitui arbitrantur, ut vidimus, formaliter, aut minimum, virtualiter, tanquam principio essentiali futuritionis absolutæ, & determinatæ contingenti: ac proinde eo decreto sublato omnis contingens seu positui seu negatiui futuritionem aboleret manereque in statu possibilitatis, & intra causas docent: abstrahente nimirum ab existentia, seu futuritione, ac non futuritione absolutæ, & pro quo neutrum determinatè est, sed solum utrumque esse potest. Non secus, ac docent actualium contingenti existentiam determinatè absolutam de præfenti, sine simili actuali decreto prædeterminante esse non posse: ac nos sine præfenti decreto indifferenter concurrendi cum causa indifferenti, nec fore contingens potius, quam eius negationem, dicimus: quia neutrum eis sublati contingenter erit: ac vero Aureolus, & reliqui ipsi cõfiterentes admissa contingenti futuritione, aut non futuritione, propositionibus de eo singularibus veritatem, aut falsitatem determinatam negant: verum quidem est aliquot ex Thomistis citatis, qui eiusmodi prædeterminantia decreta circa peccata futura negant. Sententiam hanc vniuersim docere non posse, atque rationibus pro sententia communi absolute affirmatiua, quam iam subiicio, & sequar, in peccatis futuris omnino refelli.

3. Sententia igitur absolute affirmatiua propositionibus singularibus de futuro contingenti veritatem, seu falsitatem determinatam deferens, & vera, & communis Philosophis, Patribus, & Theologis est. Quoad Patres, & Philosophos, eos etiam, qui pro negatiua stare ab huius Patronis putabantur, attinet, ex eorum testimoniis recitandis cert. 2. clarebit. Quoad reliquos vero S. Thom. 1. Perihem. c. 8. lect. 13. 14. & 15. vbi eius discipuli & nostri Constituti cens. q. vii. 4. & reliqui Arist. Commentatores. item 1. p. q. 14. a. 13. q. 16. a. 7. ad 3. a. 8. ad 3. & 4. & eorum locor. Commentatores. q. 6. de veritate art. 3. arg. 6. cum eius solutione. Albert. 1. p. q. 25. m. 2. a. 3. partic. 1. ad 4. & reliqua, & part. 3. ad 3. Alex. 1. p. q. 15. m. 5. & 6. sine ac 7. toto. S. Bonavent. in 1. d. 38. a. 2. q. 1. ad 3. vbi Stephan. Brulefer a. 2. in solutionibus oppositam Romæ damnatam fuisse referens, ex distinctionis citata d. 38. Greg. 9. 1. a. 2. Richard. 1. q. 1. ad 2. & q. 5. ad 1. Gabriel. q. 1. a. 1. notab. 7. a. 2. post s. conclusion. Carthus. q. 2. Capreol. q. 1. a. 2. ad 3. contra 7. conclus. & colum. penult. Palacios. d.

2. inter med. & fin. Scotus d. 39. q. 1. §. *Viso de contingentibus*, & §. *Ad argumenta principalia*, vbi Lychetus, & eius Commentatores, & Allecclæ Marfil. in 1. q. 40. ad 3. *Principale*: licet eius verba aliud possint sonare. Alia cens. d. 11. a. 1. lit. B. Holcor in 2. q. 2. a. 7. Abul. p. 2. defensorij c. 18. Sotus in caput 9. ad Rom. circa finem, Fonseca 6. Metaph. d. 2. sect. 6. 7. & 8. Vafq. 1. p. d. 66. Soar. opuscul. de præficient. futurorum. c. 2. Herize d. 6. de scient. c. 7. Fafol. 1. p. q. 14. a. 13. Petrus Hurtado d. 9. de anima sect. 6. sub sect. 1. Raynaud. notter disciplina moralis d. 2. Albiz d. 7. de scient. sect. 1. n. 8. Ruiz d. 23. sect. 2. Amicus tract. 21. Log. d. 4. dub 4. Francisc. de Lugo 1. de Deo vno d. 29. c. 1. Mathias Borull. defen. scient. med. d. 1. sect. 6. num. 68. licet verbis in oppositam lapsum partim videatur.

4. Ut clarius communis huius, & nostræ sententiæ veritas ostendatur, & hinc aequiuocatio argumentorum, quibus decepti aduersarij sunt, euaneſcat, aduerto: propositionem singularem esse determinatè veram, dupliciter intelligi posse. Primo. ut de seſe, atque essentia sua determinatè vera sit, siue determinatè ad sui veritatem, ut ipsi esse falsam repugnet. Secundo: ita esse veram determinatè, ut, licet eius entitati, & essentia falsam esse, non repugnet, tamen de facto vera, atque cum obiecto, de quo enuntiat, conformis sit, quia ita illud erit, de facto, ut per illam enuntiat: quomodo propositionibus in materia contingenti veritatem determinatam absque necessitate, seu determinatione essentiali ipsarum ad illam competere exploratissimum est in omnibus propositionibus de præfenti, quæ in materia contingenti sunt. Patet in his, *Petrus peccat, Petrus amat, vel currit*, & similibus: quæ quidem peccante, amante, vel currente Petro veræ sunt determinatè, seu veritatem determinatè habent, potius quam falsitatem: cum tamen de se, ac essentia sua ad veritatem determinatè non sint, ut patet, siquidem non peccante, vel amante, aut non currente Petro (ut absolute potuit euenire) non quidem veræ, sed falsæ potius determinatè eadem propositiones existerent.

5. Et hanc sane determinatè veritatis propositionum diuersitatem, & postremam acceptionem solam propositionibus singularibus de futuro contingenti seorsim sumptis conuenire obseruauit Boëtius comment. in 1. Perihem. c. 8. his verbis: *in his quidem* (propositionibus de contingenti futuro) *totam contradictionem dictam vnam partem veram habere alteram falsam, & necessario: sed non ut aliquis diuidat ac respondeat hanc quidem ex necessitate veram esse: illam vero ex necessitate falsam: id quod planissime ab Aristotele dictum præmilit eo loci, cuius ea sunt verba citato c. 8. vers. fin. Esse quidem, vel non esse omne necesse est, & futurum esse, vel non esse. Non tamen contingit diuidentem dicere alterum necessarium. Dico autem, ut necesse est esse futurum bellum nauale eras, vel non futurum esse, sed non est necesse futurum esse eras bellum nauale: neque rursus est necesse non futurum esse eras bellum nauale. Ad quæ S. Thom. lect. 15. comment. 2. Boëtio consentiens ait: Necesse est de vno quoque, quod sit: vel non sit, & quod futurum sit, aut non sit, & hoc sub distinctione. Hæc necessitas fundatur super hoc principium: quod impossibile est contradictoria simul esse vera, vel falsa: unde impossibile est nec esse, nec non esse: ergo necesse est esse, vel non esse. Non tamen, si diuisim alterum accipitur, necesse est illud esse absolute.*

8. Ex quibus constat tam Aristotelem, quam accuratissimos sagacissimos, profundissimosque eius interpretes Boëtium & S. Thom. citatis locis duplicem hanc determinatam veritatem, seu determinationem propositionum destinxisse, alteram illis necessariam, siue determinationem earum de se ac essentia sua, ad veritatem, vel falsitatem, & hanc contradictoriis singularibus in materia contingenti sub distinctione conuenire docuisse, secus eorū alteri. Alterâ vero non necessariam veritatem, seu ortam ex determinatione essentiali, & intrinseca ac de seſe propositionis ad ipsam, determinatam tamen ad hanc quidem cuius earum, siue de præfenti, siue de futuro atque non solum non negasse, sed omnino concessisse: ita, ut, licet hæc bona consequentia non sit: contingens affirmatiua non est necessario vera: ergo eius contradictoria negatiua necessa-

rio est vera: quia supponi eos confuse facit, non determinare, ut in summis cum omnibus Philosophis dicebamus, (ut patet in hac: *oculus requiritur, necessarius est ad videndum & similibus*) sit tamen hac bona consequentia: altera ex contradictoriis contingentibus, siue de presenti, siue de futuro (v.g. *Petrus currit, vel curret*) non est vera: ergo negatiua contradictoria (v.g. *Petrus non currit, vel non curret*) est vera: & contra, affirmatiua non est falsa: sed vera: ergo contradictoria negatiua est falsa: quod est alteram esse de facto, et si non necessario, determinate veram; alteram vero de facto, & determinate, licet non necessario, falsam.

CERTAMEN II.

Affirmatiua sententia autoritate Aristotelis fundatur.

1. Prima ab autoritate probatio ab Aristotele petenda est, eo certam ipso c. 8. quo nobis ab aduersariis opponitur: ex quo loco Aristotelis discursu, & demonstratione nos pro hac communi veritate, multa Boetius in 1. Periherm. edit. 2. lib. 3. circa med. §. *Ad adstruendum & §. sensus argumentationis*. §. Planissime hac praeferimus: qui Aristotelem arbitrari sunt viasque propositiones in futuro falsas arbitrari, si hac qua nunc dicit diligenter perlegissent nunquam tantis laboribus erroribus. Statimque distinguit, ut supra: aliud esse in propositionibus esse verum ac esse definite, seu necessaria earum determinatione verum: quam eandem demum, vi Aristotelicam, persequitur S. Thom. lect. 13. citata circa fin. Ea autem Aristotelis pro hac veritate demonstratio, tam de propositionibus singularibus de obiecto contingentis praesentis, quam futuro (de quibus 1. Periherm. c. 8. in terminis agit, ut vidimus) sic habet circa cap. medium. *Nec dicere quicquam potest neutrum esse verum: veluti neque fore, neque non fore. Ac rursus ibidem: Si hic dicat futurum esse aliquid, ille vero non futurum dicat, hoc ipsum manifestum est, quod necesse sit verum dicere alterum illorum. De qua demonstratione? quod, scilicet, ex opposito vitamque propositionem simul esse falsam chimari, & repugnantem inferat fustus agemus cert. 3. num. 2. Secundo: sibi ipsi contradiceret Aristoteles, si oppositum docuisset, eius enim est illud principium, quo altera pro praesenti veritate instruitur demonstratio. Ab eo quod res est, vel non est propositio dicitur vera vel falsa. Quod, ut certissimum statuit Aristoteles 9. Metaph. tex. 21. & citato cap. 8.*

2. Item, & alterius demonstrationis firmissimo principio apud Aristotelem: scilicet: *de omni re oportet verum esse affirmare, vel negare*: quod his tradit 3. de anima c. 6. sine est dictio quidpiam de quopiam, quemadmodum affirmatio: atque omnis est vera vel falsa, & 6. Metaph. text. 20. unaquaque contradictionum partiuntur sibi ad inuicem verum, & falsum: ita, quod altera pars est vera, & altera falsa. Quod certissimo eiusdem principio, & dignitate innuitur. 4. Metaph. tex. 9. *Idem simul inesse, & non inesse eidem, & secundum idem impossibile est*: hoc autem omnium principiorum certissimum. & c. 7. alias §. text. 27. *Nec inter contradictionem possibile est quidquam medium esse; sed necesse est dicere aut negare unumquodque de uno: quia, addit, qui dicit esse quod est: aut negat esse, quod non est: verum dicit: & contra, qui negat esse, quod est, & affirmat esse quod non est, dicit falsum: quare, & qui dicit esse, aut non esse verum dicit, aut mentitur*. Medij autem impossibilitatem inter contradictoria probat: quia nullum est medium inter ens & non ens: alioqui, neque verum dicit aliquis, neque non verum, aut praeter ens & non ens concludit ab absurdo. Hoc ipsum principium constanter supponit, & repetit 1. periherm. c. 8. init. illis verbis. *Nam si omnis affirmatio, vel negatio vera vel falsa est: & paulo inferius: At vero, nec quoniam est verum neutrum contingit dicere: ut quoniam nec erit, neque non erit.*

3. Sed neque multum a principio capitis, & veritatem praesentem, & aliam eius demonstrationem dedit Aristoteles, ita scribens: *si album est, nunc verum erat dicere prius, quoniam erit album: quare semper fuit verum dicere, quodlibet eorum, quae facta sunt, quoniam, est vel erit*. Vnde circa medium. *Nihil enim prohibet in millesimum annum hunc quidem dicere futurum esse, illum vero dicere non futurum*: Rursus eandem veritatem supponit Aristoteles, saepe, veram praecognitionem futurorum contingentium singularium, & praenuntiationem supponens: cum per somnium a Diis immisum lib. de praetenti, seu diuinat. per somnium sub init. cum per fatidicos homines toto eo libro: ac proinde non esse eiusmodi diuinationes omnino contemnendas (qua de re Nicolaus Lconicus in eius libri argumento) tum per Deorum, & vatum ab eis afflutorum oracula, & responsa, & alia ex animalibus capta praesagia 3. de historia animal. c. 20. longe a medio de Lemnij Capro & 1. Rhetor. ad Theodect. c. 15. ante med. & lib. de mirabilibus auscultation. a medio §. In Cum fatidicum concedit esse Sybillam. Et ex lib. eius, qui non extat, refert, Cicer. 1. de diuinat. circa med. num. 49. cum somnio eundem Eudemij tanquam a Deo immisso de duobus euentibus contingentibus futuris credidisse testatur: atque alterum eorum, qui non ita accidit, ut verba videbatur sonare, interpretatum ita esse, ut euentu, in eo sensu, verificaretur. Ex quo constat illum in eiusmodi praenuntio, & praefationi veritatem determinatam recognouisse. Mitto cum lib. de mundo Lachem (qua Deum, sicuti & reliquis Parcis, significari ait) praefate futuris rebus, quibus absque earum praesentia praefate nequit, docuisse, si enim liber certo Aristotelis non est.

4. Denique, ut mens Aristotel. eo cap. 8. (ubi oppositum docuisse non ab aduersariis modo, sed a Coninbriens. supra a. 3. & Valquez supra etiam c. 1. & 2. & Suarez citato Opuscul. cap. 2. n. 11. putatur) pro nostra, & communis sententia aperta monstratur, praeter data ex eodem capite illius verba, praecipue recitata n. 3. ex eius in eo capite intento sine monstratur. Finis totus fuit explicare, non quidem quomodo futura multa non necessario, sed vere, & contingenter sint euentura (quod, ut notum regulam potius, quam explicet, aut probet) generalis regula quam c. 7. statuerat (nempe ex contradictionibus necessaria alteram determinate veram esse, & alteram falsam) in propositionibus singularibus de futuro contingenti, siue etiam per se: afferitque: per se quidem in his etiam aequae, atque in aliis, quae sunt in materia necessaria & remota: cum hoc tamen discrimine: quod necessitas hac essendi alteram veram, alteram falsam propositionibus in materia necessaria, vel remota singulis conueniat: quia altera secundum se, & in essentia materiae necessariae, & negatiua materiae remota; altera vero ad falsitatem: scilicet affirmatiua materiae remota, & negatiua necessaria. At vero necessitas essendi alteram ex contradictoriis contingentis materiae veram, & alteram falsam, iuxta eam generalem regulam, neutri secundum se, & determinate sumptae competere, sed vtrique iunctim, & confuse sumptae: ut scilicet necessarium sit hanc vel illam esse veram, & hanc, vel illam falsam: licet determinate huic, quae fore enuntiat, quod erit, veritas conueniat contingenter, ita, ut ei secundum se sumptae, & existenti potuerit non conuenire; illi vero quae fore negat, quod erit, eodem modo falsitas conueniat: id quod, ut diximus, propositionibus etiam de praesenti contrariis in materia contingentis eodem modo conuenit; nisi hac contingens praesens supponat, atque contingentiam, seu libertatem causae in ipsis exercitum: ac proinde cum eo connectantur: tum enim necessariam veritatem habet de se, & natura sua determinata illa propositio: sed ex suppositione, quod contingens in se sit quod pro signo indifferentiae, & libertatis suae causae in actu primo potuit absolute non esse: quo etiam pacto necessariam ex suppositione veritatem habere possunt iudicia, & enuntiationes de contingentibus futuris, ut praesentia diuina, atque inde orta de eis reuelationes, & prophetiae: vnde, cum harum certitudine, & necessaria veritate nostrorum actuum liberorum conciliamus ex Partibus, & ratione, questione sequente libertatem.

5. Hinc

Disp. V. Quaest. VII. Certam. III. 269

5. Hinc tamen obicitur: diuersam necessitatem veritatis, vel falsitatis nouit Aristoteles eo cap. in propositionibus de praeterito, atque in propositionibus contingentibus de praesenti, & de futuro; cum tamen his necessitas ex suppositione conueniat, quae sola propositionibus de praeterito potest conuenire. Respondetur: propositiones de praeterito supponere exercitium libertatis transactum naturae, & duratione: quare necessario semper esse veram, quae vera est, & fallam, quae falsa est; quod enim fuit sicuti enuntiatur, non potest non fuisse, & quod non fuit non potest fuisse. At in propositionibus de praesenti, & de futuro contingenti, cum transactum initans non sit, nec opus est, ut omnia signa, & instantia naturae actus primi, & secundi libertatis, & contingentiae transacta cum sua duratione supponatur, sicut supponuntur transacta cum sua duratione in propositionibus de praeterito: ex quo capite maior contingentia veritatis, & falsitatis, quam in his, in illis esse potest, nisi ex suppositione libertatis exercitio habeantur. Item: cum praesens decurrit temporis transactum, futurumque eodem decurrit fiat praesens, transactumque in praeteritum propositiones de eis, verae etiam, quae enuntiantur cum tempore, huius solum lapsu falsificari possunt, si sequentibus durationibus enuntiantur contingens obiectum, quod prius vere enuntiabant, de praesenti, nimirum, vel futuro; secus autem, quae suum obiectum semel enuntiantur vere de praeterito: quia, quod nunc praeteritum respectu praesentis durationis est, & respectu durationis etiam aeternae à parte post est successurum, praeteritum est; ac proinde propositio de praeterito, etiam contingenti, semel vera, semper, ac necessario vera erit quia postquam inquam esse falsa. Totum hoc docte notauit Anselmus lib. de concord. pref. cum lib. col. 2. dicens in re praeterita est quoddam, quod non est in re praesenti vel futura. Nunquam enim fieri potest, ut res, quae praeterita est, fiat non praeterita sicut res quaedam, quae praesens est, potest fieri non praesens: & aliqua res, quae non necessitate futura est, potest fieri non futura: praesens quidem etiam in se praesens temporis solius successu; futura vero cum inde, tum ex libertate, quae antecedit tempore exercita non supponitur. Hanc ob dicta haec Anselmum pro nostra sententia, ac conclusionem istius constantem, eo etiam c. 8. Doctores omnes, qui pro ea etiam stare citati à nobis sunt, placere sententia, si tunc illos memoratos n. 4. excipias.

CERTAMEN III.

Aliorum, & Patrum autoritate eadem
veritas stabilitur.

Idem veritati patrocinatur Cicero libro de fato longe à medio n. 8. ita generatim principium illud eius demonstranda statuens: quod verum non est, quod praeteritum falsum est; aut quod falsum non est, qui potest non verum esse, id est omnem propositionem necessario veram, vel falsam esse debere. Item, & illud principium eiusdem demonstranda, de omni re oportet verum esse affirmare, vel negare: si enim (ibidem ait): exemplum in propositione de futuro contingenti adhibens) ex his necesse est alterum verum esse, alterum falsum: ut sauciatibus Philodotus omnibus ante saeculis verum fuit (recitatis verbis) non sauciatibus falsum, Pauloque inferius ait: Ita ista cogit, & ex aeternitate vera esse quoddam, & ea non esse connexa causis aeternis, & à fati necessitate libera. Nisi forte, &c. quod ipsum etiam de propositionibus scriptis falsificantibus certissimum putat in Lucullo lib. 2. Academicar. quaest. post med. edit. 1. demum, min. quorum superiore tempore vera fuerint instantia: sic facta, quorum consequenti tempore vera erunt instantia, ea vera dicimus.

1. Boetius citatis locis Aristotelis mentem pro hac veritate non solum explicuit, sed & secutus est citatis locis & recitatis, cum cert. 1. n. 7. & cert. 2. n. 1. & postremo hoc loco oppositam sententiam insinualuit erroris. Paragrap. Christoph. de Origena, de Deo Uno, Tomus I.

pho autem: Sensus argumentationis, prope finem, ubi illam demonstrationem Aristotelis pro veritate, aut falsitate, cuius meminimus certam. 2. circa finem: eius sequentia verba: Si autem neque erit, neque non erit cras, non erit verumlibet, ut nauale bellum: oportet enim neque fieri nauale bellum, neque non fieri: ita interpretatur, & pro eadem veritate complectitur. Si affirmatio dicat cras bellum nauale futurum, quoniam falsa est, non erit bellum nauale. Rursus, si idem negat negatio dicens: non erit cras bellum nauale, quoniam haec quoque falsa est, erit cras bellum nauale: quia affirmatio falsa est, nec non erit bellum nauale, quia negatio falsa est: sed hanc ineptiam nec animus sibi ipse fingere potest, quia enim unquam dixerit rem aliquam ex necessitate neque esse, nec non esse? quod ille dicit, qui dicit utraque propositiones in futuro falsas existere.

3. In eadem sententiam scripsit 5. de consolat. praef. quinta, ubi à Deo videri ait: Quoniam modo, etiam, quae certos exitus non habent, certa tamen videntur, ac de finita praetio, neque id sit opinio, sed summa potius scientia nullis terminis inclusa simplicitas, & proia 6. post medium: quid igitur postulas, ut necessaria fiant, quae diuino lumine insistantur, cum nec homines quidem, necessaria faciant esse quae videntur? nun etiam, quae praesentia cernis, aliquam eis necessitatem tuus addit intuitus? atqui (si est diuini humanitatem praesentis digna collatio) vti vos vestro hoc temporario praesentis quadam videris, ita ille omnia suo cernit aeterno. Paulo item inferius: Quod sit, ut haec non sit opinio, sed veritate potius nixa cognitio, cum exiturum quid esse cognoscit, quod existens, necessitate carere non nesciat. Quia scit esse contingens futurum, ubi diuina de futuro contingente praesentia, non determinatam solum, sed certam, & indefectibilem veritatem concedit: neque aliter de determinata praesentia futurorum contingentiam, quam de visionis eorundem praesentium determinatam veritate esse philosophandum: ac demum inde conciliat veritatem praesentia diuina determinatam, & necessariam, cum futuri contingentis libertate, quia aequae praesentia futurum contingens, atque visio praesens supponit.

4. Eadem paritate veritatis determinata, imo necessaria, visionis de obiecto praesentis determinatam & necessariam veritatem Prophetiae create praedictionis de futuris explicuit Athan. serm. de pass. & cruce Domini longiuscule à principio sic fatus. Sicut oculis conueniens, in contemendo non fallimur, nec aliter videmus; & aliter res agitur: ita quoque Propheta futura, ut praesentia cernebant. Verum quae cernebant oportebat fieri: & ea, quae stabant non poterant non videri. Rursus, ut ea, quae nos nostris oculis conspiciamus, necesse est omnino esse, cum ea, quae sunt, sub conspectum veniant: neque fieri potest, ut aliter sint, quam à nobis videntur: ita quoque, quae à Prophetis prospiciebantur, necessarium erat ea esse, neque fieri poterat, ut aliter essent, quam ipsi praeviderant. Idem prorsus probatur de veritate necessaria, ac proinde determinata praesentia de futuro contingenter peccato Iudae (ac negationis Petri, & similibus) ex Patribus pluribus commodius q. 8. recitandis, afferentibus non ideo peccatum Iudae (idque ipsum est de Petro, & aliis) quia praevius peccaturus à Deo est; sed contra: ideo peccatum praevius, quia erat peccaturus. Vnde necessitatem consequentiam à praesentia ad peccatum Iudae futurum colligitur, sine contingentia & libertatis peccati praedictio, quia consequens, & consequentia solum, non consequentis necessitas est. Si autem determinate verum non esset peccatum Iudae futurum, nec determinate vera, nec determinate necessaria esse posset eius praesentia, quae eius determinatam futuritionem potius quam non futuritionem ex parte obiecti materialis supponebat. Denique, cum ex praesentia, quae determinate vera est, inferatur futurum peccatum, & contra, sit, utrumque determinate verum esse: siquidem determinate verum nequit certa illatione mutua inferre nisi è determinate vera; alioqui posset esse non verum quod inferretur ex vero contra statam Dialecticorum regulam.

5. Pro eadem sententia stat Augustinus lib. 26. contra Faustum in haec verba. Deus, quod facturus erat, utique sciebat, & ideo simul sciebat illud futurum non fuisse.

fuisse, quod, ne fieret, facturus erat: & procul dubio potius verum est quod scit Deus, ergo & vere est, ac determinate futurum, quod facturus est Deus, & non futurum, quod facturus est, ne fiat, ex Augustini sententia, qui sic tandem concludit inferius. *Vade, tam non possunt futura non fieri, quam non fuisse facta praeiterita: quoniam non est in Dei voluntate (& potestate) ut eo sit aliquid falsum, quo verum est: censer ergo à futuritionis, aut non futuritionis suppositione non solum determinate veram alterutrum ex illis praeiorionem, & praedictionem, sed infallibilem, c. autem 5. perpetuitatem à parte post veritatis contingentis praeiterita & à parte ante contingentis futuri coequans ait. Hac vera sententia prius inuenitur in animo nostro, cum id verum scimus, & dicimus, sed etsi de animo nostro ablata fuerit, cum id quod scimus oblitus fuerimus, manebit in ipsa veritate: semper enim verum erit fuisse illud quod erat, & non est: & ibi verum erit iam fuisse, quod erat, ubi verum erat, antequam fieret futurum esse, quod non erat.*

6. Et sententiam, & doctrinam hanc totam de veritate determinata, & perpetua futuri contingentis, ac praeteriti Augustini hausit, & illustravit Anselmus c. 17. Monol. in hac scribens: *Cogitet, qui potest, quando incipit, aut quando non fuit hoc verum: scilicet, quia futurum erat aliquid, aut quando desinet, & non erit hoc verum: scilicet, quia praeteritum erit aliquid: quod si neutrum horum cogitari potest, & utrumque hoc verum sine veritate esse non potest; impossibile est cogitare, quod veritas principium, vel finem habeat. Denique, si veritas habuit principium, vel habebit finem antequam ipsa inciperet, verum erat tunc, quia non erat veritas, & postquam finita erit, verum erit quia non erit veritas. Atqui verum non potest esse sine veritate: erat igitur veritas, antequam esset veritas, & erit veritas postquam finita erit veritas: quod inconuenientissimum est. & dialog. de verit. cap. 1. cum vltus esset eadem sententia, & verbis, quare, quid sit enuntiationis veritas, & cap. 2. generaliter esse conformitatem eius cum obiecto suo, ut enuntiatum (quod utique enuntiationis de futuro etiam contingentis competit) ita sententiam illam explicat c. 11. [Cum dixi: quando non fuit verum, quia futurum erat aliquid, non ita, dixi, ac si absque principio ista oratio fuisset, quae assereret, futurum aliquid esse, aut ista veritas esset Deus: sed quoniam non potest intelligi, quando ista oratio esset veritas illi deesset, ut per hoc, quia non intelligitur, quando ista veritas esse non potuit, si esset oratio in qua esse potest, intelligatur illa veritas fuisse sine principio, quae prima causa est huius veritatis.]*

7. Nil sane ad hanc rem, & perpetuitatem veritatis obiectivae futuri contingentis antequam de praesenti, & actu sit probandum, & explicandum subtilius dici, aut illustrius potest: ac statim huius anteriorem perpetuitatem cum posteriori praeteriti perpetuitate iterum componit: ex utroque autem, & Augustino, & Anselmo rationem ac sententiam mutuatus Hugo Victor. lib. 1. part. 2. cap. 22. circa med. paucioribus tamen, his verbis: *Omne, quod sit, ab aeterno praesens est futurum esse, quia ab aeterno futurum est: quod ipsum tamen ab aeterno non est: ubi rem, quae futura est, ab aeterno esse optime negat; concedit autem (sicut Augustinus & Anselmus) ab aeterno esse rei illius futuritionem, & hanc ad aeternam eius praesensionem supponit, quod statim post pauca reperit: Quod, quia fiet, & futurum semper est, & praesens est: ac iterum: Praesens est, quia futurum est. Denique idem Anselmus de concordia Praescient. cum libert. c. 1. colum. 2. sic ait: Non enim, nisi, quod futurum est, praesentur: quia praescientia non est, nisi veritatis. Et sub inferius. *Praeter autem verum est, quia fuit, & est, & erit aliquid ex necessitate: & quia necesse est fuisse omne, quod fuit, & esse omne quod est, & futurum esse omne quod erit.**

CERTAMEN IV.

Eiusdem veritatis demonstrationes Theologicae.

1. Prima Theologica demonstratio sit: datur in Deo iudicium, seu praenotio de futuro contingentis singulari determinate vera. Hac autem est propositio singularis de futuro contingentis, vti ex definitione eiusmodi singularis propositionis, patet: ergo datur propositio singularis de futuro contingentis determinate vera: consequentia est legitima, & maior certa ex revelationibus à Deo per se, vel Prophetas suos factis de futuris contingentibus singularibus: v. g. de peccato Iudae, & negatione trina Petri, aliisque innumeris singularibus futuris contingentibus à Deo reuelatis, vti per Prophetas in scriptura determinate praedictis, & proinde, & ab eo praescitis, quibus praescita manet eternae & infana Aureoli responsio in 1. d. 39. quaestio. vnic. artic. 3. proposit. 2. & 3. & conclus. articuli dicentis Deum non praescisse singularia illa contingentia futura determinate esse, sed indeterminate futura, vel non futura. Etenim determinate futurum esse Iudae traditionem, & Petri negationem, potius, quam non futuram praescisse, & reuelasse ex Scriptura hies Catholica est. Secundo: tam haec, quam singularia reliqua contingentia per se, vel Prophetas futura determinate potius, quam non futura reuelavit: vel ergo determinate fore, aut non fore praesciuit: vel solum indeterminate fore, aut non fore praenotavit? si primum: habetur intentum, & deficit à solutione Aureoli. Si secundum: mentitus plane Deus, vitiote etiam, fuit, cum fore determinate: quod fore determinate potius, quam non fore, nesciebat, sciens volentque praedixit: quod solum ad mendacium formale, neque solum materiale requiritur.

2. Contra inde secundo. Quia, si Deus ex praescientia illa futuritionis, vel non futuritionis futuri contingentis disunctum non reuelat per se, vel per alios futuritionem illius determinate, vel futuritionem, aut non futuritionem disunctum: non tenebimur credere eius reuelationi de futuritione contingentis reuelati determinate, potius quam de non futuritione; si enim contingens determinate fore potius, quam non fore, ex illa scientia solum de futuritione, aut non futuritione disunctum, & indifferenter iudicante reuelat, mentitur Deus, ut vidimus, nemo autem teneatur credere testimonio mendacis: si autem solum reuelat fore, vel non fore indeterminate, id solum credere teneatur, quod Deus reuelat: scilicet fore, vel non fore disunctum contingens reuelatum, non autem determinate fore; imo arbitrio, & coniectura nostrae integritas erit, alterutrum euentum iudicare: quid ergo tantopere Patres Petri incredulitatem contra Christi reuelationem *ter me negabis* ex praesentis sui amoris in Magistram, & dispositionis animi reclamantis, *est oportuerit me mori tecum non te negabo*, & mirantur: & carpuerit: maxime, cum aequae possent ea reuelatione facta credere ac iudicare se non negaturum, atque, si opposito, & contradictorio modo facta ipsi à Christo Domino fuisset, scilicet, *non me negabis*: si iuxta secundum hoc dilemmatis huius membrum non magis reuelat Deus contingentis futuritionem, quam non futuritionem, ut iam expendo in eius membris impugnatione secunda.

3. Sic igitur impugno illud secundo: & probabo iuxta illud absurdum antecedens assumptum: etenim iuxta Aureoli solutionem, & membrum illud dilemmatis. Nil amplius reuelat Deus, cum reuelat futuritionem contingentis, siue fore contingens, quam, cum reuelat negationis eius futuritionem, siue illud non fore: neque enim determinate praenotat, ac praedi-

cere

esse negationem contingentium rerum futuritionem, non autem futuritionem rerum contingentium, admittens, admittere potest, nisi, qui non solum consequentia, sed à ratione debeat: ergo tam, cum reuelat contingens fore, quam, cum reuelat non fore, reuelat fore, vel non fore indeterminate, atque distinctum: aliter, cum reuelat non fore, non tenetur credere fore: ergo nec, cum reuelat fore contingens tenetur credere fore contingens, sed, utranque posita reuelatione diuina, tantum tenetur credere contingens illud fore, vel non fore distinctum indeterminate atque confuse: liberumque proinde nobis erit alterutra posita ex præsentibus circumstantiis alterutrum determinate præ alio futurum coniectari, præagere, ac prædicere, atque, ac si neutrum à Deo reuelatum esset: quare nihil reprehensione, adhuc materialiter, dignum Petrus egit, cum Christo Domino prænuñtanti *negabis me* & iudicio, & sic aduersus est, non te *negabo*. Contra tertio: quia, si solum contingentia futura Deus reuelat, id solum de suis oraculis dicere poterit, quod generali illo Tyresia Gentilibus dictum quondam fuit, *quidquid dicam, aut erit, aut non erit*, quod merito irridet Boëtius de Consolat. prol. 3. inter medium, & finem: id quippe de cuiuslibet quantumvis stupidi prædictionibus eadem certitudine dici potest: quare incepte hæcenus à Sanctis diuina oracula sollicita essent, atque suspecta.

4. Tercio hinc Aureoli solutionem impugno, quia, si Deus de contingentibus futuris solum scit illa fore, vel non fore, non autem fore determinate, aut determinate non fore, sciet sane, quod de eis scit stupidissimus quisque, nihilque amplius: scilicet contingens fore, aut non fore: ac proinde de illo rogatum, fore aut non fore solummodo respondentem, tanquam solidum, quem ideo ridere merito solemus: cuius ea ratio est, ex qua quarto impugnatur Aureolus. Nempe, quodvis, etiam contingens fore vel non fore, adeo certum, necessarium, & solum lumine exploratum veritatem esse, ut qui eo responso satisfaciendum roganti de euentu futuro putet, aut id solum à sane mentis homine dubitari, & quari possit, nisi amantissimus esse nequeat: ex qua ratione sic arguuntur. Contingens hoc, vel fore, vel non fore indeterminate, & distinctum veritas necessaria omnino est, ac nullatenus contingens, seu contingentem futura: atqui Deus per Aureolum eam solum cognoscit: ergo Deus nullum contingens, seu veritatem contingentem futuram cognoscit: quæ omnia, ut videtur, dicendum necessario est Deum futurum potius determinate, quam non futurum contingens, quod de facto erit, & determinate non futurum, quod de facto non erit prænotare, & quod ex eis reuelat, siue fore, siue non fore, determinate fore, vel determinate non fore reuelare. Nec quid præstat, satis extra rem, magis Catharini solutio: scilicet, propositiones eiusmodi reatas ad causas futuri contingentis non esse determinate veras: sed neque id negamus, aut eius oppositam contendimus: ac (inquit) quatenus Deus, præsens eius obiectum habet, ac scit, & reuelat veritatem habere determinatam: sed certe hoc solum contendimus futurum contingens, ut in se, & extra causas pro sua duratione est (quo solum pacto potest Dei æternitati præsentari, & coexistere in omni opinione) determinate fore, ac futuritionem, & veritatem determinatam habere, quæ ad sui diuinam præscientiam, & reuelationem supponatur.

5. Ex hac Theologica demonstratione determinate veritatis præscientiæ Dei de futuritione futuri contingentis præ non futuritione illius: idem de nostris iudiciis, & enuntiationibus de futuro contingentem singulari demonstratio duplici ex capite. Primo: quia omne iudicium, & enuntiatum, quæ conformatur cum suo obiecto enuntiatum potius, quam cum eius opposito, est determinate vera: ut iudicia, & enuntiationes nostre de futuritione determinate futuri contingentis à Deo prædicti, & reuelati determinate, idem ipsum iudicant, & enuntiant determinate, quod Deus prænotat, & reuelauit: ergo conformantur atque ac Dei prænoto, & reuelatio cum futuritione determinate contingentis quod iudicant, ac enuntiant futurum. Deinde atque conformantur: impossibile enim est duas enuntiationes idem eodemque modo ex parte obiecti enuntiantes alteram rei enuntiatæ conformari, alteram non conformari: cum enim nulla sit in enuntiatum obiecto di-

uersitas in obiectum ipsum tota deuoluatur contradictio, ut, scilicet, idem sit, & non sit pro eadem duratione futurum, quod est repugnans. De necessitate vero veritatis, seu conformitatis determinate nostrarum enuntiationum de futuro, vel de non futuro contingentem æqua cum necessitate veritatis, & conformitatis diuinæ præscientiæ cum eodem futuro secus res habet: cum hæc summam eius veritatis necessitatem physicam, & metaphysicam habeat, quam nequit habere nostra prænotio, nisi fidei sit, ac proinde eidem præscientiæ ac reuelationi inuitatur: quanquam: & de hac quæstio sit: an necessitatem veritatis, quam diuina præscientia, habeat minorem, locumque inter eas Aristotelicum illud proloquium, *propter quod unumquodque tale, & illud magis* de quo controuersia de fide: assero interim esse æqualem. Secundum caput vniuersalius est arguendi ex præscientiæ & reuelatione Dei de aliquibus contingentibus determinate vera, veritatem determinatam omnis vniuersum iudicij, & enuntiationis nostre de futuro contingentem, quod erit, aut non futuritionis eius quod non erit, illud est: quod, nimirum, si vnum ex futuris contingentibus determinate verum in se, ac determinate futuritionis potius, quam non futuritionis, est, antequam actu & de præsentem sit, omnia futura contingentia eandem futuritionem determinatam habeant, ac proinde determinate vera obiectiue esse evidens est: atqui ex determinate vera præscientiæ & reuelatione diuina de aliquo futuro contingentem evidens est illud esse in se determinate vere obiectiue futurum, & determinate futuritionis potius, quam non futuritionis: ergo inferitur ex eisdem euidenter omnia contingentia futura, quæ erunt, vere esse futura determinate, & non futura, vere esse, ac determinate, non futura: inde vero euidenter etiam inferitur: omne nostrum iudicium & enuntiationem de eorum quouis, ut de facto habitam, esse determinate veram, quia conformatur cum futuritione determinate ac potius, quam cum non futuritione si illam iudicat, aut enuntiat: si vero non futuritionem, cum illa determinate, & potius quam cum futuritione conformabitur. Tertium denique caput immediatius arguendi vniuersum veritatem determinatam nostrarum enuntiationum, siue internarum, siue externarum de futuro contingentem singulari quouis, siue non futuro, ex præscientiæ Dei sumitur de omni futuro contingentem: tum, quia quouis determinate vera, imo necessaria veritatis: tum quia ex illa inde immediate eorum omnium futurorum contingentium determinata veritas obiectiua, deducitur, & inde discursu secundo intentum euincitur: tum quia quouis nostra enuntiatum, de quouis futuro contingentem determinate conformis suo obiecto ac vera determinate monstratur iuxta discursum primum: totidem modis arguendi inuicem demonstratur falsitas determinata propositionum nostrarum de futuro contingentem aliter, ac erit, enuntiatum.

CERTAMEN V.

Alie veritatis eiusdem naturales demonstrationes.

1. Naturales huius veritatis demonstrationes adeo sunt principis per se notis vicine, ut cuius mens in eas non inciderit non solum non discurrere: sed neque ambulare posse putanda sit: imo vero, necne, sed oculis, & lectione solum opus esse merito videbitur, ut in illas ineurratur, cum in Aristotele, & antiquioribus vtriusque facultatis Philosophicæ, & Theologicæ Doctoribus efformatæ, & expresse reperiantur. Tamen plerique ex his demonstrationes contra Dominicanos Thomistas requirentes decretum prædeterminatum ad contingentem futuritionem procedere, Docti ex nostris Recentiores aduertunt, quibus merito abnuimus: ut enim diximus certam. 1. num. 4. cum sublato decreto, quo hi in actu primo contingentiam, & libertatem (sicut in eo iudicio implicatorie) causæ in actu primo conuoluunt, contingentem

tingens futurum non sit, ac proinde eius negatio sit futura, non tamen contingenter, sed necessario est futura: quare non sub praescientiam contingentium, sed necessitatem cadit: quemadmodum sublatum decreto Dei indifferenter concurrere, quo nos libertatem creatam in actu primo constituimus futurum contingens non erit, eritque eius negatio futura; sed necessario quidem, non contingenter, cum sublato principio quouis essentialiter requiritur ad effectum, & hunc absolute esse sit omnino impossibile. Solum ergo tenebunt demonstrationes subiicienda contra crassos quosdam Thomistas, qui haecenus absolute negant eo decreto sublato contingens absolute ac determinate fore, aut determinate non fore, non habita ratione contingentiae negationis futurae, quamquam, & contra eos, qui eius rationem habuerunt rationes extruxerimus efficaces ex eorundem Dominicanorum principiis, ut contingentiam earum saluari ostenderemus, ac proinde, & eos subiiciendis demonstrationibus tandem subiicere. Hic tamen notare haec oportuit, ne quis eos adeo plans, & immediate, ut docti Recentiores putarunt, sequentibus demonstrationibus tangi post hac pueret, aliisque eorum principiis non additis, eiusmodi argumentis contra ipsos in eadem viatur.

2. Prima demonstratio ex illo principio petenda est, quod tradit Aristoteles recitatus cert. 3. num. 1. testim. 1. & 3. & num. 2. sine. Scilicet non posse esse duas contradictorias simul falsas: ex quo sic argumentor; affirmatio de quouis futuro contingenti determinate, quod determinate futurum non est, v.g. *Petrus cras peccabit*, est propositio falsa: negatio item determinate eius futurationis v.g. *Petrus cras non peccabit*, est falsa in opposita sententia: haec vero sunt contradictoriae: ergo in opposita sententia datur contra illud principium duplex contradictoria simul falsa. Maior probatur: quia, tam affirmare, quam negare determinate fore, quod determinate non futurum, necnon futurum est, sed solum indeterminate est vel futurum, vel non futurum iuxta oppositam sententiam, falsum omnino est. Explicatur. Propositio affirmans determinate Petrum cras peccaturum, qui tamen peccaturus non est, sed peccaturus, vel non peccaturus, non conformatur cum obiecto, ut in se re quidem est: re siquidem obiectum in se nec determinate est futurum, nec determinate non est futurum in opposita sententia, sed solum indeterminate, vel est futurum, vel non futurum; at omnis propositio, quae non conformatur cum suo obiecto, ut in se est tempore importato per copulam, falsa est: ergo utraque propositio est falsa.

3. Secunda demonstratio luminatur ex alio per se principio evidentissimo proxime recitato affini, tradito etiam ab Aristotele recitato etiam certam. illo 3. toto n. 2. & a Cicerone recitato certam. 3. num. 1. Iustino martyre in responsionibus Christian. e Religione natur. rat. sub init. scilicet: omnis contradictionis alteram propositionem debere esse veram determinate, alteram falsam: haec propositiones (*Petrus cras peccabit*, *Petrus cras non peccabit*, & similes affirmatiua, & negatiua determinate de futuro contingenti singulari) sunt contradictoriae: ergo altera determinate vera, altera determinate falsa. Confirmatur; quia vel utraque propositio praefata dicit Petrum, vel cras peccaturum vel non peccaturum, vel affirmatiua peccaturum determinate, & negatiua non peccaturum. Si primum: utraque vera est, imo ex veritate vnius evidens est veritas alterius, cum idem ipsum vna enuntiet, quod alia altera id ipsum negat determinate: ergo altera verum determinate enuntiat, ac vera proinde determinate est, altera vero falsum determinate, estque subinde determinate ex illo principio falsa.

4. Demonstratio tertia ex alio Aristotelis principio cap. 8. citato de interpretatione ducitur praecedentibus vicino. Scilicet ex propositionibus contradictoriis de futuro contingenti altera vniuersali, altera particulari, quam esse determinate veram, alteram determinate falsam: atqui vniuersalis determinate vera infert singulares omnes, quas in se continet determinate veras; particularis vero determinate vera saltem singularem aliquam determinate veram: & e contra particularis determinate falsa omnes singulares determinate falsas, & vniuersalis determinate falsa aliquam saltem singularem determinate

falsam; ergo propositiones singulares de futuro contingenti, aliae sunt determinate verae, aliae determinate falsae. Minoris prima pars demonstratur: quia nequit esse determinate vniuersalis vera, nisi cuius omnes partes, seu propositiones singulares, quibus constat, & suo sensu cohercet, sint determinate verae: vnde ab illa ad singulas legitima, & evidens conclusio per descensum est, ut Logice est notum. Ab hac enim *omnis homo curret*, si vera sit, licet evidenter inferre: ergo *hic homo curret* &c. A particulari vero *aliquis homo curret*, si vera sit, licet inferre: ergo *hic homo curret*, vel *hic homo curret*, quouque ad aliquem veniat de quo vera sit propositio singularis, *hic homo curret*: quoad secundam minoris partem de falsitate prona est ex dictis demonstratio: cum enim ad particularis veritatem satis sit aliquam singularem veram determinate esse: ut falsa sit, omnes singulares determinate falsas esse necessum est; contra vero, cum ad vniuersalis veritatem omnes singulares veras determinate esse oporteat: ut falsa sit, aliqua saltem de singularibus in illa contentis falsa determinate esse debebit.

5. Quarta demonstratio ex illo alio principio notissimo instruitur cui praefata principia adiunguntur: Nempe, quodlibet est vel non est, quod quidem tradit Aristoteles, ut *omnium principiorum certissimum* testimonium recitatur certam. 2. num. 2. circa med. ex 4. Metaph. quod determinate intelligendum necessario est: scilicet, quodlibet determinate esse, vel determinate non esse: consensio quippe, & indeterminata suppositio in rebus ipsis, earumque existentia, vel non existentia locum re ipsa non habet; sed solum in modo nostro concipiendi, & significandi: vnde solum varietas suppositionum terminis, & obiectis, pro quibus illi substituitur, ut ita significatis, obuenit: si ergo futurum contingens re ipsa determinate erit, vel determinate non erit, propositio enuntians determinate fore, vel determinate non fore, quod determinate erit, & quod determinate non erit, conformis suo obiecto est: & quae enuntiat determinate fore contingens, quod determinate non erit, & non fore, quod determinate erit, determinate difformis suo obiecto est: quare, & determinate falsa, sicut prima est determinate vera: siquidem veritas enuntiationis nihil aliud est, quam conformitas illius cum suo obiecto, sicut sola eius cum suo obiecto difformitas est falsitas.

6. Demonstratio quinta siue quarta confirmatio ex alio principio procedit. Nempe: ab eo quod res est vel non est propositio dicitur vera vel falsa, quod etiam tradidit Aristoteles 9. Metaph. rex. 21. dicens: *Verum dicit, qui diuisum diuidit, & compositum componi putat: falsum autem, qui contra, quod res se habeant, aut quando sunt, aut quando non sunt. Non enim propterea quod nos res putamus album esse tu albus es, sed propterea, quod tu albus es, nos, qui dicimus, verum dicimus.* & 1. Perihem. c. 8. prope medium: manifestum est enim, quoniam si se habent res, etiam si non hic quidem affirmauerit, ille vero negauerit. Non enim propter affirmare, vel negare, erit vel non erit: vnde circa finem addit: *similiter orationes verae sunt quemadmodum, & res.* Ex hoc principio sic arguitur: ex eo, quod res enuntiat est in se, sicut enuntiat, propositio est vera: & ex eo, quod non ita est res falsa: ergo ex eo, quod res determinate est, sicut enuntiat, vel determinate non est, erit determinate vera, vel falsa determinate: atqui contingens determinate in se erit, sicut enuntiat fore, vel determinate non erit: ergo propositio alterutrum significans est determinate vera, vel determinate falsa.

7. Sexta demonstratio traditur ab Aristotele eodem cap. 8. rex. 1. de Interpret. longe ab init. his verbis: datis certam. cert. 2. n. 3. init. hic tamen rependendis. Si album est nunc, verum erat dicere prius, quoniam erit album: quare semper fuit verum dicere, quodlibet eorum quae facta sunt, quoniam est, vel erit: & circa med. Nihil enim prohibet in milleimum annum, hunc quidem dicere hoc futurum esse, illum vero dicere non futurum. Ita tamen, ut alter verum dicat: alter falsum, & mutentur: ut ibidem ait, & 4. Met. c. 7. alias s. text. 27. ut ex eis locis recitabimus certam. 2. num. 1. & 2. circa finem: imitatur tamen hac demonstratio principio illi, quod attingit Aristoteles ibi scilicet futurum tota anteaecta aeternitate possibile, seu imaginaria creata, vere esse obiectum siue se-

cundum se determinate futurum : quod ipsum tradidit Cicero certam, 3. num. 1. eam antecedentiam in duratione veritatis futurationis rei futurae ostendens ab eternitate a parte post veritatis praeteritionis rei praeteritae ; quae etiam ratione idem probant & statuit Augustinus ibi num. 5. & Anselm. n. 6. ubi utriusque veritatis perpetuitatem alterius a parte ante, alterius vero a parte post praecellissime, & apprimè explicuit ; posita autem veritate determinate futurationis futuri contingentis antequam existat, evidens est propositionem illam anteriori tempore assertentem esse determinate veram ; negantem vero esse determinate falsam.

8. Septima denique demonstratio est ex communi sensu hominum, & per se nota veritate scilicet : in propositionibus singularibus de futuro contingenti, & libere esse veram contradictionem ; atqui, ni eorum sensus, & veritas determinatae fuit, nulla esse potest contradictio eorum singularium propositionum de futuro contingenti : si enim solum dicit affirmativa haec : *Petrus eras peccator*, non quidem Petrum peccatum determinate, sed peccatum, vel non peccatum, ac proinde nec determinate veritas est ; nec negativa haec, *Petrus eras non peccator*, dicit eras non peccatum, vel peccatum determinate, idem omnino de eodem, utraque dicit : neque altera de Petro negat, quod altera de illo affirmat sed confirmat : ergo non sunt contradictoriae, neque esse possunt in propositionibus de futuro contingenti, contra per se notum omnium hominum sensum. Secundo id ipsum probatur : quia non solum omnis earum propositionum singularium de futuro contingenti contradictio possibilis formaliter in ea sententia excluditur ; sed omnis etiam eiusmodi propositionum possibilitas nequit autem esse contradictio vera propositionum impossibilium, ac proinde eiusmodi contradictio est de subiecto non supponente. Assumptum patet : quia rem fore, vel non fore indeterminate necessarium est, non contingens : ac proinde propositio id dicens necessitate veritatis est, & certissima, & notissimum principium ; non autem contingens veritatis ac materiae, seu in materia contingenti : atqui omnis propositio singularis, quam de futuro contingenti admittit contraria sententia, id solum dicit, ergo omnis eiusmodi propositio non est contingens sed necessaria.

CERTAMEN VI.

Obiectionibus occurritur.

1. Obicitur primo futurum contingens ita est, ut absolute possit non esse futurum : id enim est contingens futurum, est : atqui, si, ut potest, absolute non sit futurum, propositio enunciatis erit falsa : ergo eiusmodi propositio potest esse falsa : ergo non est determinate vera. Et roboratur haec consequentia : quia quod verum determinate semel est, semper, ac necessario est verum : ergo, quod potest esse falsum, determinate verum non est. Respondetur distinguendo maiorem futurum, ut futurum in actu secundo potest non esse futurum, nego maiorem, in actu primo consideratum ante determinatam futurationem, concedo maiorem. Et concessa minore, de potestate futuri in actu primo considerati eodem sensu & potestate conceditur consequentia prima : si enim id, quod futurum in actu secundo non esset (ut in actu primo, siue eius causa ad utrumlibet considerata poterat) propositio futurationem eius in actu secundo determinate, ac vere enunciatis, falsa esset : ac proinde, si ipsam futurationem exercitam, & in actu secundo supponat propositio, de se falsa esse potest.

2. Sed tamen neganda est absolute consequentia secunda : ex eo enim, quod propositio de futuro contingenti singulari, neque illud supponens, de se, ac praedicatae fuit non connectatur cum futuratione illius potius, quam cum non futuratione, solum inferitur, eam de se determinatam ad veritatem, vel ad falsitatem non esse : ac proinde, nec de se necessario veram, aut necessario esse falsam ; sed veritatem, aut falsitatem, licet determinatam, contingenter cum earum entitate coniungi, cum veritas, aut falsitas in conformitate cum obiecto enunciato,

aut deformitate ab illo consistat : quare, & contingens futuratione, aut non futuratione determinata in re praesenti alterutra, ut determinate talis compleatur : unde sit, ut propositio contingens de futuro vera semel, in falsam nequeat transire, quoad futurum inane futurum determinate : cum enim quod futurum est, quoad futurum est, nequeat non esse futurum, atque ea determinata futuratione illius propositionis illam determinate enunciatis determinata veritas compleatur : implicat posita futurationis enunciatio ipsa, & determinata futuratione contingens in se, non esse determinatam propositionis eam enunciatis veritatem : licet de se enunciatio futurationem, quam non supponit, cuique proinde non connectitur, minime inferat, neque de se sit determinata ad veritatem, sed potius de se falsa esse possit.

3. Oppones secundo : *ex eo quod res est, vel non est, propositio illam enunciatis est vera, vel falsa* : unde veritatem propositionis formalem, ex obiecti enunciatis veritate delumi certissimum est : ergo, sicut res se habet ad esse, ita propositio ad veritatem. Atqui futurum contingens non est determinatum ad esse, seu determinati esse, sed indifferens ad esse & non esse, ac proinde ad veritatem, vel falsitatem obiectivam : ergo, nec propositio illud enunciatis est determinatae veritatis, seu determinata ad veritatem, vel falsitatem formalem. Soluta proxime est, & haec oppositio. Distinguo minorem : in se, & in actu secundo non est determinati esse, seu determinatum ad esse, potius quam ad non esse, nego minorem ; in causa, & actu primo sui, concedo minorem : & nego consequentiam, quoad primam consequentiam partem negantem determinationem veritatis : hanc enim habet ea propositio ex determinata veritate obiectiva futuri in se, non autem e causa suae determinationis, quae non est, sed potius indifferencia. Secunda vero consequentis pars, licet prima synonyma, ac sola periphrasis videatur, longe aliud significat, estque distinguenda : non est determinata ad veritatem, sed indifferens ea propositio secundum se spectata, ac de se, fateor ; quia de se non est necessaria veritatis ; ut coniuncta cum futuratione determinata futuri in se, & per ipsam enunciata, nego eam partem consequentis : & sane duo haecenus opposita eandem habent difficultatem contra veritatem propositionum singularium contingentium de praesenti, quam omnes etiam adversarii determinatam esse admittunt, atque, ut ab eisdem illam difficultatibus liberent, praefatis solum solutionibus uti possunt.

4. Sed enim ex eodem principio ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa specialius contra veritatem propositionum de futuro contingenti determinatam arguitur : etenim nunc, cum anteriori tempore contingens fore enunciatur, adhuc in se determinata non est, nec solum in sua causa determinate vera, si vera sunt, quae solutionibus datis docebamur. Antecedens patet : quia, quod absolute in se non est, nequit determinate in se esse : atqui futurum contingens tunc, cum fore enunciari vere dicimus, absolute non est : ergo neque determinate in se est. Respondetur illud principium ab eo quod res est, vel non est intelligi debere tempore importato per copulam, non autem tempore non importato per illam, & pro quo non enunciatur conjunctio identitatis praedicati cum subiecto ; alioqui, nec in propositionibus de futuro non contingenti, nec in propositionibus de praeterito, siue contingenti, siue secus, veritas determinata foret : imo in eis omnibus esset determinata falsitas : quia nullum ex enunciatis tunc est, cum, vel fore, vel fuisse enunciatur. Inde distinguenda est minor, futurum contingens non est tempore importato per copulam ad conjunctionem identitatis praedicati cum subiecto, nego : tempore quo profertur propositio, concedo, & nego consequentiam.

5. Dices quarto : veritas determinata, & actu propositionis illius cum obiecto est conformitas actualis ; atque conformitas actu, & determinata sine actuali, & determinata coexistentia utriusque extremi esse nequit : ergo nec veritas actu, & determinata propositionis sine actuali coexistentia eius cum obiecto esse potest : atqui propositio de futuro contingenti non habet coexistentiam cum illo : ergo nec actuale veritatem determinatam. Mirum est quanti capiosum hoc, & ratiolum

argumentum à tota antiquitate Philosophorum & Theologorum in hac usque inutilium Sophismatum feracia tempora eneruatum, & neglectum Recentiores faciant! in quor insuper determinatiuum, & verificatiuum præcipia, & agantur, & aliquot alios agant, ut illi satisfiant, & nullo quidem fructu: cum eius, si quam habeat, difficultas ex determinatiui, & verificatiui dissolui nequeat, ut ostendimus. Sed certe, si quid obiectio probat, contra omnis propositionis de futuro, ac de præterito siue de necessario, siue contingenti aequè probat: imò probat in nulla earum posse vquam esse determinatam nec indeterminatam veritatem, ut aduersarij contendunt, sed omnes eiusmodi propositiones determinate falsas esse: siquidem, cum actu, & de præsentis, id quod futurum vel præteritum est, cum qualibet earum coniungitur, falsum est præteritum esse, vel futurum, ut eis propositionibus enuntiat; cum autem de præsentis non coniungitur cum eis veræ non sunt, ac proinde sunt falsæ determinate. Quidquid enim de se nunquam, nusquamque verum esse potest, de se ad falsitatem determinatum est: quod absurdum, ineptiusque errore hæcenus impugnato est.

6. Respondetur ergo pro omnibus distinguendo maiorem: cum obiecto in se, sicut enuntiat concedo maiorem, aliter, ac enuntiat, nego maiorem: & distinguo similiter minorem, sine actuali, & determinata coexistentia vtriusque, sicut alterum enuntiat, & alterum enuntiat, concedo minorem, aliter, ac alterum, id est obiectum, enuntiat nego minorem: & concedo primo illo sensu consequentiam: inde vero subsumptum antecedens similiter distinguendum est in propositionibus de futuro, (& idem est de propositionibus de præterito) non habet coexistentiam cum illo, ut enuntiat, nego (actu enim futurum, & determinate est, quod futurum est ac proinde actu est determinate, sicut actu enuntiat; siue subinde enuntiationi actu coexistit, quod enuntiat, sicut enuntiat) aliter ac enuntiat non coexistit actu sui enuntiationi, concedo antecedens: nam de præsentis non existit, atque, ut præsens non coexistit actuali & præsentis enuntiationi: aut non enuntiat existens de præsentis: & nego consequentiam.

7. Instas: cum enuntiat futurum, nihil eius actu est, sed sola eius negatio: futurum autem, quia tale, duo dicit, & præsentem futuri negationem, & non esse, & absolutam eius existentiam tempore sequenti: quæ non magis in tempore præsens trahi potest, quam tempore subsequens in antecedens: ergo implicat futurum contingens, quia futurum adæquate esse actu, & absolute pro tempore antecedenti præsentis, in quo actu est eius enuntiation: ac proinde futurum, adhuc, quia futurum, & ut enuntiat sui enuntiationi coexistere, nequit, ut actualis, & determinata vtriusque conformitas sit, in qua stat per nos actualis, & determinata eius enuntiationis veritas, id ipsum contra veritatem determinatam propositionem de præterito poteris obicere. Sed obiectio hæc vtriusque potius determinatam veritatem euincit; si enim vtrumque illud inconiungibile simul, futurum, quod de præsentis futurum est claudere essentialiter, scilicet, præsentem negationem absolutam sui, & absolutam sui existentiam tempore posteriori, atque ex hac nondum præsentis, quod nondum est, futurum proprie est: sit denominationem hanc futuri propriæ & eius propriam futuritatem actualem absolutam eius de præsentis existentiam non requirere, aut includere, sed potius essentialiter illam excludere: ac proinde esse denominationem, quæ ab illa existentia absente, & negatione præsentis actu, & de præsentis desumitur, atque ex parte obiecti est: quare tota cessat difficultas contra actualem veritatem determinatam, & conformitatem enuntiationis de futuro cum obiecto, ut ab illa enuntiat, & idem est de enuntiationibus de præterito.

8. Oppones Sexto male inferri ex eis principiis: quodlibet necessarium est, vel non est; atque ex eo quod necesse sit, Petrum vel peccatum esse, vel non peccatum, confute, & disiunctim: atque insuper ex eo, quod omnis propositio debeat esse vera, vel falsa: ac in omni contradictione altera debeat esse vera, & altera falsa: quod sit determinate peccatum, vel determinate non peccatum, atque altera propositio: v.g. affirmatiua determinate vera sit, & negatiua determinate falsa. Proba-

tur assumptum: quia ex eo quod alter oculus disiunctim, & confuse sumptus sit necessarius ad videndum, non inferitur alterum determinate non esse necessarium ad videndum, vel alterum determinate esse necessarium ad videndum; sed potius neutrum determinate esse necessarium ad videndum: ergo similiter ex eis principiis, necessario quidem, & per se notis, non inferitur necessario; futurum contingens determinate esse futurum, vel determinate non esse futurum, aut propositionem de illo alteram determinate esse veram, alteram determinate falsam; sed potius neutram determinate sumptam esse veram, aut determinate falsam.

9. Respondetur, negando male ex eis principiis conclusionem notitiam inferri. Ad probationem dicto: ex necessitate alterutius oculi diuini ad videndum necessitatem alterius determinate ad videndum non inferri: ac similiter non inferri necessitatem determinate veritatis, seu ad veritatem determinatam, vel ad falsitatem determinatam alterius ex contradictoriis singularibus vniuersis: quia bene ea inferitur ratione materie in non contingentiibus sed materie potius necessaria, seu remotæ; secus in contingentiibus; quia in primis affirmatiuis veritas necessaria, seu determinatio ad veritatem; in secundis vero necessaria falsitas, seu determinatio ad illam: & in negatiuis e contra. At in contingentiibus, ac proinde vniuersim in omni propositione, non inferitur ea veritatis, vel falsitatis, aut existendi, vel non existendi determinate, necessitas. Ceterum determinata veritas, vel falsitas, in quavis propositione, sicut, & existentia determinate, vel non existentia determinate in quouis ente tempore importato per copulam, ex eis principiis inferitur; alioqui, neque existentia, aut non existentia determinate cuiusvis entis de præsentis, nec veritas, aut falsitas determinate propositionis cuiusvis de præsentis ex eis principiis inferitur; quod est contra omnes, etiam aduersarios obiectantes: inferitur ergo existentia determinate, vel non existentia determinate cuiusvis entis particularis, & veritas determinate, vel falsitas determinate cuiusvis propositionis singularis ex eis principiis: quia existentia, aut non existentia, veritasque vel falsitas, quæ de ente, aut propositione prædicatur, sunt prædicata, quæ nonnisi exercere, & determinate conueniunt, conueniuntque recipi possunt subiectis, ac proinde determinate, alterum eorum illis enuntiat, ac proinde determinate, licet alterum eorum determinate, seu necessario illis, aut eorum alicui enuntiatum non conueniunt: quia eorum pluribus, scilicet contingentiibus, determinate, & necessario leueneri nequit.

10. Itaque licet illud principium necessarium sit, & ex necessitate quasi reflexe cognita & posita in illo ex parte prædicati v.g. Omnis ens necessarius est, vel non est, vel omnis propositio necessaria est vera, vel falsa, esse vel non esse entis, veritatemque vel falsitatem propositionis, quæ sunt prædicata eo Synchegoremate affecta confusa, ac vaga suppositione supponi faciat: atque hanc vel illam indeterminatam significare: neutrum quippe determinate necessitas est, cum quodlibet sufficit; aut, cum illud Synchegorema reflexe non apponitur eis principiis esse vel non esse, veritatemque vel falsitatem exercere assertis, ac non, nisi determinate exercendis, hæc determinate supponuntur, & significantur, ac proinde ab exclusionem vnius determinate, valere consequentia ad affirmationem alterius determinate, siue de præsentis, siue de futuro non valebat autem a negatione necessitatis vnius determinate ad affirmationem necessitatis alterius determinate. Totum hoc exemplo illo, quo ab aduersariis impetebatur perspicuum erit: ex hac siquidem propositione. *Alter oculus necessarius est, aut, requiritur ad videndum: quia necessitate terminus ille oculus alter afficitur, & confunditur, ab exclusionem alterius determinate non inferitur de altero determinate affirmatio necessitatis ad videndum determinate; ac vero ex propositione non de necessitate sed de exercitio visionis, quod actu, & exercitio à singulari, nonnisi aliquo determinate, habendum, est vera & ita illatio. V. g. Alter oculus videt ab exclusionem visionis à dextra determinate ad eius de sinistro determinate affirmationem valere infallibiliter consecutio, & euenienter: quare, & similes præfate in re præsentis valebunt.*